Goodman Geo

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

SCORBUTO.

QUAE,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS GOODMAN,

ANGLUS,

SOCIET. REG. PHYS. EDIN.

SOC. HONORAR.

&c.

SURGEON GENERAL'S OFFICE LIBRARY Washington, D.C.

Ad diem 25. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ADAMUS NEILL CUM SOCIIS.

M DCC XCII.

VIRO CELEBERRIMO

THOMÆ PERCIVAL, M.D.

&c. &c.

Ob multa in ſe collata beneficia:

Nec non

VIRO CARISSIMO,

JOSEPHO BENNETT,

Germanæ marito;

Celebre Artem Apollineam

Exercenti;

Ob inſignem amicitiam

erga ſe exercitam,

et multas virtutes,

quibus ſuam vitam ſemper ornavit:

Hanc Diſſertationem,

parvulum grati animi teſtimonium,

offert

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

SCORBUTO.

MULTIS in dubio hæsit, num veteribus hic morbus cognitus fuerit; nonnulli crediderunt rite inter eos morbos, qui à quibusdam vivendi modis præsenti et paucis antecedentibus ætatibus propriis proveniunt, annumerandum esse. Controversia de hac re prætermissa, tantum obiter observabo, hunc morbum, quamvis forsan se non tam frequen-

er prodentem, tamen veteribus familiarem fuiſſe apparere; in eorum ſcriptis morbos depictos invenimus, qui plane ad ſcorbutum referendi ſunt; et cum recognoſcamus ſolitam incuriam, a ſtatu medicinæ iis temporibus in culto conſequentem, in characteribus morborum longe melius cognitorum, potius nobis erit locus mirandi, quod deſcriptio ab iis tradita tam perſpicua erat.

Etiam ſi præterea plagæ, in qua medici veteres vixerunt, majorem benignitatem, et quod longæ navigationes propter eorum inſcientiam iis temporibus non fieri potuerunt, bene perpendamus; magis adhuc in ſententia firmati conſtabimus; quoniam minorem hujus morbi frequentiam etiam ad eorum ſcripta de eo minus accurata reddenda contuliſſe probabile eſt. His itaque bene perpenſis, a Doctore Friend, opinor, diſſentire licet; et cum aliis digniſſimis auctoribus inferre, veteribus et cognitum et depictum eſſe ſcorbutum.

Hic morbus terra marique graſſatur, et utriſque locis idem manet, præterquam quod mari fere majorem vehementiam propter graviorem ſuarum cauſarum operationem obtinet.

Nomine ſcorbuto ſæpe male abuſi ſunt auctores; multi morbi enim ſub hac appellatione vulgo comprehenſi fuerunt, adeo ut pene verbum indefinitum factum ſit. Varia impetiginum genera a peſſima lepra ad pſoram, tinea, et pleræque cutis eruptiones in vere ſæpe accidentes, imo pleraque ulcera difficile curanda, præcipue in cruribus, et omnes fere dolores ægritudineſque, quibus certus titulus non affigi poſſet, ad ſcorbutum fere ſine diſcrimine relata fuerunt. Hujus reì incongruitas bene jampridem intellecta eſt, et nomen nunc tantum morbum ſignificat propriis ſignis notatum; quem, ut quam maxima diligentia depingam, nunc operam dabo.

Hujus morbi aggreſſum primum indicat color faciei mutatus, quæ pallida tumidaque fit, cum torpore. Interim appetitus ægroto ſanus manet,

manet, et bona valetudine frui videtur; præterquam quod ejus vultus et laſſitudo ſcorbutum ingruentem prænunciant. Quamvis hic faciei color non ſemper alia ſymptomata præcedat; tamen, morbo perſtante, magis conſpicue prodit; et tandem magis fuſcus lividusque fit. Ea laſſitudo demum in univerſam pigritiam definit; cum genuum rigore et imbecillitate in exercitatione; qua multum fatigantur ægri et cito anhelant. Gingivæ mox liveſcunt; molles et ſpongioſæ fiunt; et poſtea putridæ fungiſque obſeſſæ, leviſſimo tactu ſanguinem large fundunt; hæc oris affectio morbum clare deſignat. Cutis tunc arida percipitur, præſertim in cruribus; in multis exemplis rugoſa; in nonnullis ſpeciem anſerinam habet; ſed plerumque lævis eſt, et rubidis, cæruleis, vel ſæpius fuſcis lividiſque maculis, cum cutis ſuperficie æqualibus, vibices quaſi a contuſione referentibus, operta invenitur. Hæ maculæ magnitudine variant, initio parvæ, provecto autem morbo latiores. Sæ-

pius

pius crura et femora occupant, non raro brachia, et universum corporis truncum, rarius autem caput aut faciem.

Multis crurum tumor est, qui primum circa malleolos vespere observatur, sed mane vix percipitur; gradatim vero sursum ascendit; et tandem totum membrum tenet; a communi œdemate in hoc tantum differens, quod magis dolet, et durior est, et digiti vestigium diutius retinet.

Nonnulli per totum morbi decursum alvum satis solutam, dum alii interdum astrictam habent; sed fere liquidæ dejectiones ægrotum frequentius infestant. Urina plerumque rubra est, et parca; pulsus etiam parvus, debilis, et inæqualis.

Hæc sunt præcipua certissimaque primi hujus morbi stadii symptomata: Sed morbo perstante, usum membrorum ægroti amittunt, musculis tendinibusque in poplite contractis; adeo ut crura nates versus retrahantur, cum tumore doloreque in genu.

Dolores

Dolores quidem raro abſunt; ſed in variis ægris in variis locis accidunt; et locum ſuum ſæpe mutant; et motu ingraveſcunt; nonnulli in omnibus oſſibus dolorem conquerüntur; in parte dorſi inferiori, in membris, et præſertim in articulis et cruribus vehementiſſimum. Sed pectus non raro doloris ſedes eſt, ubi anguſtiæ ponderiſque ſenſus percipitur.

Languor, anxietas et dyſpnœa nunc maxime intenduntur; et ægri a minimo motu vel aeris mutatione, animo linqui ſolent; interdum ſubito moriuntur.

Leviſſimæ contuſiones vulneraque in peſſima ulcera decedunt. Eorum aſpectus in quacunque corporis parte ſpecialis eſt. Facile ab aliis ſuo inſigni putore dignoſcuntur; tenuem, fœtidam materiam ſanguinolentam fundunt, tuberibus exuberantia fungoſis, cum marginibus plerumque lividis; diu autem in hoc ſtatu manent ſine oſſium vitio.

Scorbuticis, omnibus temporibus, imprimis autem hoc morbi ſtadio, profuſæ hæmorrhagiæ a diverſis corporis partibus, ut a naribus,

gingivis,

gingivis, inteſtinis, pulmonibus, &c. accidunt; et ab ulceribus etiam, quæ ſanguinem ſæpe large profundunt.

Nonnullos hoc tempore dyſenteria laceſſit; qua ad ſummam debilitatem perducuntur.

Gingivæ plerumque exuberante carne obducuntur; cum fœtore doloreque intolerandis; profundis ulceribus interdum obſeſſæ, ſpeciem gangrænoſam referentibus. Dentes etiam a gingivis ſejuncti vacillant, atque ſæpe decidunt.

Salivatio nonnunquam advenit, quæ cum dyſenteria alternat; adeo ut illa paucos dies ceſſat, dum æger torminibus dejectionibuſque ſanguinolentis torquetur; quibus ceſſantibus illa denuo redit.

Interdum, quamvis raro, cum morbus violentiſſimus eſt, oſſium caries accidit; quæ fere multum dolorem, et ſemper oſſis amplificationem facit. Senſus per hujus morbi totum decurſum fere ægroto integri reſtant.

Poſtremum morbi ſtadium miſerrimum aſpectum præbet. Ægrotus nunc ad extremam

debilitatem

debilitatem perducitur; ulcera, quæ olim cicatrice obducta erant, denuo redintegrari, et callum, quo ossa quondam fracta coaluerant, iterum dissolvi, visa sunt. Cutis nonnunquam crurum tumefactorum dirumpitur; præsertim ubi molles, doloroſi, lividique tumores prius apparuerant; unde fœda, sanguinolenta ulcera oriuntur.

Stranguria vehemens aliquando hoc morbi provecto stadio adest. Debilitas adeo augetur, ut æger membra sua vix possit movere. Hic motus defectus ab extrema debilitate Paralysis appellatus est; sed magnopere a vera paralysi discrepat, quoniam propriis scorbuti remediis facile curatur, et motus defectus minus perfectus est.

Nonnullis hoc tempore profusæ sanguinis e naribus, pulmonibus, ventriculo, per alvum et urinam, &c. evacuationes, mortem afferunt. Sanguis etiam interna hæmorrhagia copiose inter musculos ipsos vel in corporis cava non raro effunditur. In aliis, morbus, in hydropem, icterum,

icterum, dyſenteriam, vel inveteratam melancholiam, vel etiam in ſævas colicas, alvi duritiam graviſſimam, abit. Cum pectoris affectio vehemens fuerit, in phthiſin pulmonalem morbus nonnunquam definit.

DIAGNOSIS.

Scorbutus multa habet, quibus ab aliis morbis dignoſcere licet; forſan igitur breviter hoc caput tractare, et paucos tantum, quibuſcum facilius confundi queat, ſeligere, ſufficiet. Typhus petechialis aliquam ſignorum ſimilitudinem exhibere videtur. In hoc, "calor parum auctus; pulſus parvus, debilis; vires "multum imminutæ," ad aliquam dubitationem creandam valent. Sed in hoc etiam, "urina parum mutata; ſenſorii functiones "plurimum turbatæ," eum a ſcorbuto bene diſtinguunt; in quo urina fuſca eſt, et ſenſorii functiones integræ manent uſque ad extre-

mum morbi ſtadium. Maculæ petechiales his morbis ambobus communes ſunt; ſed in ſcorbuto non tam ſubito accedunt, nec tam facile in gangrenam abeunt. Tarda etiam in ſcorbuto ſymptomatum progreſſio, et ſedula ejus cauſarum inveſtigatio diagnoſin ſatis facilem reddent.

Maculas quoque in ſyphili inveterato occurrentes, ab iis in ſcorbuto diſtinguere neceſſe eſt. A frequentia utriuſque morbi in nautis, hoc interdum difficile evadit. Sed in ſyphili maculæ marginem capillitii præſertim infeſtant; in ſcorbuto autem per totum corpus diffunduntur, et potiſſimum per crura femoraque. In ſyphili, bubones; in mediis oſſibus dolores; penis, tonſillarum, oſſium palati naſique, ulcera, morbum frequenter deſignant; cum in ſcorbuto oſſium extremitates vexant dolores; ulcera crura femoraque ſæpius obſident, maxime ſanguinolenta fungoſaque; et oris affectio raro ultra gingivas tendit.

Scorbutus

Scorbutus a lepra, elephantiaſi, vel aliis ex ordine impetiginum, ſuis maculis liveſcentibus, et non furfuraceis vel ſupra cutem elevatis, diſcernitur.

CAUSÆ.

Cauſas hujus morbi bene in duo genera, prædiſponentes, et excitantes, diſtinguere licet.

Multa ſunt, quæ corpus huic morbo proclive faciunt. Antecedentes morbi, ſi vires corporis multum fregerint, talem proclivitatem inducunt.

Ignavia ejus agreſſioni multum favet; otioſos primum tentare obſervatur; iis præcipue incidere ſolet, quorum ſedentaria occupatio eſt.

Exercitatio autem nimia, æque ac nimis parca nocet; qui enim defatigatione frangitur, pariter, ac qui ignavia enervatus eſt, huic malo patet.

Quod

Quod autem præ omnibus aliis viam ſcorbuto ſternit eſt frigus et humiditas; hoc optime, ex majore morbi frequentia et violentia in frigidis, quam mitioribus plagis tempeſtatibuſque, et beneficio a calido veſtitu proveniente ad eum avertendum, conſtat.

Nemini, cui ſtatus virorum plures hebdomadas, procelloſo, pluviali, vel perpetuo nebuloſo et denſo cœlo, expoſitorum, bene perpenſus fuit, mirum erit, quod humiditas, quaſi præcipua ſcorbuti frequentiæ et violentiæ mari cauſa, data eſt. Cœlo etenim intempeſtivo, undæ per foros perpetuo volvuntur, qui muneribus funguntur madefacientes; et etiam magnam aquæ copiam continuo infra inferentes, qua lecti madent. Nautæ præterea ignis inopia ad ſuas veſtes et lectos deſiccandos, iis ſic madidis periculoſiſſime uti coguntur.

A variis navigationum narrationibus hanc cauſam in ſcorbuto producendo potiſſimum valere, optime deducere licet. In illis cernimus morbi violentiam magnopere a cœli intempeſtate

tempeſtate pendere. Quæ naves ad ſeptentrionem tendunt, ut ad Greenlandium, vel Mare Balticum, a cœli intemperie maxime huic morbo obnoxiæ fuerunt. Olaus Magnus in Hiſtoria Nationum Septentrionalium, morbos memorans qui eos infeſtant, ample ſcorbutum tractat; obſervatque frigidas humidaſque habitationes potiſſimum ad eum gignendum conferre; ejus malignitatem ſemper frigidis humidiſque a domorum parietibus exhalationibus plurimum adauctam eſſe; cum, qui domos magis ſiccas habent, non ei æque objiciuntur.

Animi dejectio alia eſt res, quæ homines huic malo proclives facit. Anxios et ſollicitos adoritur, dum alacrioribus parcit. Hinc forſan accidit, ut nautæ nuper conſcripti, et incolæ oppidorum obſeſſorum, potiſſimum ei obnoxii inveniuntur. Itaque quodcunque animum attollit, vel ægro fiduciam affert, ut aliquis

quis felix eventus, vel lætus nuncius, mirifice vires ſubito reficere inveniuntur. Hujus rei celeberrimi ANSON navigationes multa bona exempla præbent; his conſtat, morbum, ſpe fruſtata, conſtanter in pejus ruere; adeo ut neceſſarium factum ſit omni modo ſpem ægris attollere.

Hæ ex cauſis prædiſponentibus inſigniores ſunt. Sed præcipua cauſa excitans eſt pravum cibi genus. Si cibus talis fuerit, ut paulum nutrimenti præbeat; vel quamvis ſua natura ſatis alimentarius, ſi difficilis ſit concoctu, ita ut vires ventriculi ad eum conquoquendum non ſufficiant; idoneum nutrimentum corpori deficiet, et ſcorbutus inducetur. Poſteriori modo imprimis peccat diæta nautica; quæ ex farina non fermentata, et piſcibus carnibuſque duris, ſiccis et ſalitis, conſtat.

Eædem cauſæ terra æque ſævos ſcorbutos ac mari fecerunt; ita ut in nonnullis regionibus,

bus, in Greenlandio, borealibus Ruſſiæ partibus, Canada, &c. morbus pene endemicus ſit.

His omnibus cauſis, quæ ſcorbutum producunt, bene perpenſis, hæc inde deducere licet, conjunctim ad vim vitæ extinguendam et ſummam ſolidorum debilitatem et relaxationem inducendam plurimum valere.

Variæ de hujus morbi ſede, utrum in ſolidis ſit, an in fluidis, opiniones fuerunt. Multis ſententia fuit, morbum fere ex toto a vitiato ſanguinis ſtatu pendere; et inde omnia hujus morbi ſigna explicare voluerunt. Sed de hujus vitii ſanguinis natura nondum inter medicos convenit. Plerique crediderunt, ſanguinem præter ſolitum ſalinum fieri, a magna ſalis quantitate, quam ii, qui nautica vivunt diæta, conſumunt. Sed huic ſententiae, multis de cauſis, objicere licet. LIND etenim dicit, ſanguinem ab aliquo ſcorbuto peſſimo laborante detractum, vel ejus ſerum, nec ullum guſtanti

ſaporem

ſaporem ſalinum impertire, et ſolito more coire: Idem etiam aquam marinam ad magnam quantitatem ſcorbuticis præſcripſit, quæ alvum leniter ſolvere ſolebat; ſed nullo modo morbum pejorem reddidit; quod ſine dubio accidiſſet, ſi ſanguinis præter ſolitum ſtatus ſalinus cauſa morbi fuiſſet. Sed etiam ſi conjectura de ſalino ſanguinis ſtatu eſſet vera; tamen quo modo hunc morbum proferat, explicatu difficillimum eſſet. Sal etenim, ſi in ſanguine revera ineſſet, ne hic putreſceret, utique obſtaret; quoniam æque validum, ſalem muriaticum, haud ſecus ac alia antiſeptica, vim in corpore vivo antiſepticam præſtare, argumentum habemus; cum hanc ſimiliter in mortua animali materia præſtet. Neque alkalina acrimonia metuenda eſt, a ſalis muriatici in corpore decompoſitione, ſuo acido baſi, cum qua major affinitas eſt, occupato; nec etiam, ſi alkali aliquo modo magna copia in ſanguine

gigneretur, exinde putreſceret ſanguis; quoniam ab experimentis conſtat, ſales alkalinos ipſos vires antiſepticas etiam habere.

Contra autem nequaquam, me judicante, credere licet, fluida per hunc morbum non ullam mutationem ſubire; ſanguinem, in hoc ſolidorum generali morbo, vitium aliquatenus participare neceſſe eſt.

Vires concoctionis et aſſimulationis ſumma debilitas obſidet; adeo ut chylus ſanus et bene concoctus, et ſolita copia, ſanguini non ſuppeditetur; itaque prava qualitate fit, et ad ſolida nutrienda, et corpus ſanum conſervandum minime pollet.

Ob atoniam et debilitatem corporis fluida etiam non talem ſuorum vaſorum patiuntur actionem; qualis neceſſaria eſt, ut ſuam idoneam mixturam atque ſpiſſitatem retineant, et omnes noxiæ particulæ expellantur. Exinde igitur, et a frigore humoreque, quod ſupra præcipua cauſa prædiſponens memoratum

ſunt, extrinſecus agentibus, tota ſoliti ſalubris per cutem halitus ſuppreſſio accidit; quam cutis arida plane evincit.

Urina in hoc morbo fuſco colore eſt, et parca, non ſolum ob eam debilitatem et atoniam, quæ totum corpus obſident, ſed etiam ob eum aquæ defectum, qui tam frequenter in longis navigationibus accidit.

Suppreſſis igitur his duabus ſalutaribus evacuationibus, quibus corpus ſe iis acribus noxiiſque particulis, quas retinere non licet, quin ſanguinem magnopere corrumpant, liberare ſolet, fluida plane vitiantur.

Hoc confirmari etiam eo videtur; quod navitæ, ſcorbutum rarius inter eos ſæve graſſari, donec ad parcam tenuis quotidie cereviſiæ et aquæ quantitatem redigantur, certiores nos faciunt: Aqua etenim, bene ſcimus, non raro viribus et diaphoreticis et diureticis pollet; igitur et eas acres noxiaſque particulas diluendo, ut corpore facile eliminentur, efficit.

Cauſas

Cauſas in ſcorbuto adeſſe, quæ ad fluida depravanda ſufficiunt, ut amplius confirmemus non neceſſe eſt. Nec igitur peringenioſo Milman prorſus conſentire licet; qui morbum in ſolidis vult omnino conſiſtere, neque fluida ullo modo illum participare. Quali autem natura ſit hæc depravatio, accurate definire non datur; nec hoc mirum eſt, dum mutationes, quas fluida in vivo corpore ſubeant, vel quantum ea, vita perſtante, putredo obſideat, tam penitus ignoramus.

Quamvis autem concedere, fluida a ſano ſtatu aberrare, et aliquo modo morbum participare, juſtum appareat; minime attamen hæc depravatio uſque adeo admitti poteſt, quam nonnulli voluerunt; quibus judicantibus, totus morbus in fluidorum vitio conſtat.

Veriſimile videtur, morbum naſci, et aliquod tempus durare ſine ulla fluidorum affectione; et fluidorum vitium non ad morbum gignendum neceſſarium eſſe. Morbi etenim

ſigna

ſigna ſatis bene, ſine ope ullius talis, de vitiato fluidorum ſtatu, ut primaria morbi cauſa, conjecturæ, explicari poſſunt. Ubicunque talis fluidorum ſtatus vitiatus adſit, ſymptoma tantum comitans, in morbo inveterato apparens, ejus ſpeciem aliquo modo varians, et ejus maximam violentiam denotans, reputare debebemus.

Morbus igitur, in ſumma ſolidorum debilitate et atonia conſtat; et fluidorum vitium, cum tale adſit, prorſus ab hoc ſolidorum ſtatu exoritur; et non, niſi hic efficiatur, exiſtere poteſt. Itaque invenimus hunc ſolidorum ſtatum tollendo, morbum ſummoveri; et omne vitium, quod antea fluidis ineſſet, non diutius manere, ſed cum cauſa ſua evaneſcere.

Hinc ratio datur, cur aliquis ſæpe uſum diætæ ſalitæ multos annos continuos ſine ulla injuria adhibere poſſit. Cum etenim corpus animale iſta fibrarum moventium atonia non laborat, talis diæta omnino innocua eſt; qua-

lis valetudini fortium organorum pepticorum, igiturque corporis nutrimini, optime congruit; omnis etenim ſal ſuperabundans, quem continet, cito ſanis excernentibus organis e corpore expellitur.

SYMPTOMATUM EXPLICATIO.

Torpor, laſſitudo, et magna debilitas, etiam in primis hujus morbi ſtadiis tam inſignia, et quæ ægro interdum motus poteſtatem auferunt, a muſculorum imbecillitate oriuntur.

Ab hac cauſa etiam provenit pulſus parvus, debilis, inæqualiſque, in ſcorbuto tam conſtans; cor enim ad ſanguinem in ſuis cavis accumulatum ejiciendum validis regularibuſque contractionibus non valet; ſed eundem ejicere debilibus repetitiſque conaminibus tentat.

Reſpiratio difficilis, et ejus pene totus a minimo motu defectus, ab eadem cauſa etiam pendet.

pendet. Muſculi ideo, qui thoracem in reſpiratione dilatant, ad hunc effectum non valent. Reſpirationis difficultas motu augetur, quoniam hoc modo ſanguinis in cor reditus acceleratur; et ſic celerior thoracis expanſio requiritur, ut ſanguis per pulmones tranſmittatur.

Palpitationes, deliquia, et ſubita poſt motum mors, a cordis impotentia, et tranſitu ſanguinis, thorace non ſatis dilatato, per pulmones difficili, exoriuntur.

Varios vagantes dolores, ſanguini nimia copia in vaſis accumulato, et inter muſculos ipſos ſubjacentes effuſo, attribuere licet.

Tumor et durities muſculorum, genuum rigiditas, et crurum retractio, ſanguini coagulato extra vaſa effuſo etiam referenda ſunt.

Maculæ colore diverſæ a ſanguine ſubter cutem effuſo proveniunt; colore variante prout ſanguis brevius vel diutius effuſus manſerit. De modo autem quo accidit hæc effuſio, multum

tum diſputatum fuit; qui voluerunt morbi cauſam in ſalino, ſeu aliquo modo acri, ſanguinis ſtatu eſſe, has maculas ſanguini vitiato, partes corrodenti, et in telam celluloſam tranſeunti tribuunt; qui autem morbum in ſolidis ſitum eſſe credunt, has maculas partibus tenerrimis diſſolutis referunt. Controverſia autem omiſſa, tantum obiter obſervabo, ſanguinem nullum talis vitii indicium præbere; talem in hoc fluido vitali qualitatem vitæ tam prorſus adverſam apparere, ut, ea præſente, nequaquam hæc ſubſiſtere poſſet; et ſine ullo tali ſanguinis vitio omnia ſcorbuti ſigna optime explicari poſſe. Omne contra argumentum maximæ in fibra muſculari teneritudinis, minutæque vis cohæſionis in omni corporis parte præbetur; adeo ut minima vis, etiam in ægro tractando, partes diſtrahat; imo ipſa fluidorum gravitas ſæpe ad hunc effectum ſufficit. His bene perpenſis, non mirum eſt ſanguinem e ſuis vaſis effuſum, maculas colore

varias

varias ubique ſub cute facere. Eadem hemorrhagiarum variarum a diverſis corporis partibus in hoc morbo tam frequentium ratio danda eſt.

Callus oſſium ſolutus recentis oſſeæ materiæ defectu ob malam nutritionem effici videtur; oſſibus etenim oſſearum particularum damnum ab attritione et abſorptione continuo fertur; quod ſi non denuo reficiatur, oſſa mollia fieri neceſſe eſt.

PROGNOSIS.

Quoniam morbus lentiſſime graſſatur, remedia neceſſaria exhibendi ſuppetit tempus; hiſque dilgenter datis, raro periculum eſt, quin curatio felix evadat. Nonnunquam autem quibuſdam de cauſis, quæ morbum ad curandum requiruntur, deficiunt; ut ſæpe in navigationibus fit, ubi neque herbæ emi aut carpi, neque homines ſemet bene exercere, poſſunt;

poſſunt; adeo ut, ne morbus quotidie ingraveſcens fiat prorſus immedicabilis, ſummum periculum ſit.

Qui morbis antecedentibus, ut febribus, ſeu dyſenteriis, ſeu ſalivatione vehementi infirmati ſunt, ii præ omnibus aliis ſævo morbo objiciuntur. Quos antea tentavit morbus, ii ejus aggreſſui procliviores ſunt.

Signa magnæ in pectore gravitatis et anxietatis, alvi aſtrictæ ſeu dyſenteriæ, acrium in latere dolorum, frequentis animi defectus, et præſertim magnæ ſpirandi difficultatis, præ aliis omnibus morbum periculoſum reddunt.

Primum, ſi periculum intentet morbus, poſt frugum aut herbarum uſum, felix indicium eſt alvus leniter ſoluta; diæta enim ex his confecta munere laxantis remedii fungitur; et ſi paucis diebus poſtea morbus multum levetur, ſignum ſanitatis revertentis certiſſimum eſt; præſertim ſi neque exercitium lene, neque aeris mutatio animi deliquium efficiat.

MORBI CURATIO.

Quorundam autorum ingenioſorum experientia multa ſatis efficacia remedia paravit; adeo ut hæc, ſi ſatis mature adhibeantur, morbum cito certeque fere tollant.

Præcipuum, ad hunc morbum curandum, conſilium eſt, vires corporis infractas reficere.

Ad hunc finem primo perneceſſarium eſt, eximiam, ad omne frigus, humoremque amovendum, curam adhibere; his etenim agentibus, non mirum eſt, ſi diæta mutata et medicina parum proficiant. Sedes igitur ficca ſublimiſque, ubi aer eſt purus et ſalubris, atque ab iis humidis noxiiſque exhalationibus, demiſſa paluſtriaque loca infeſtantibus, immunis, eligenda eſt. Ægri etiam veſtitu mundo calidoque diligenter identidem induendi ſunt, quo quidem omne frigus efficaciſſime præcaveatur;

et

et pariter adaugeatur ſaluberrima per cutem exhalatio.

In hoc morbo autem pendet plurimum a diætæ mutatione. Diæta craſſa et concoctu difficilis, pro tenui et digeſtu facili, mutanda eſt. Hæc ex frugibus et herbis recentibus, et carne recenter mactata, optime paratur; quæ ad hunc morbum curandum omnibus aliis præſtat. Ex his autem varia parantur alimenta, inter quæ optima ſunt juſcula carnium, quibus olera incoquuntur, ut braſſica, porra, cepæ, &c.

Acetaria omnigena ſalubria ſunt; ſed potiſſimum oxalis, intybum, lactuca, cochlearia, naſturtium, et portulata. Panis triticeus recens et bene coctus præbendus eſt; lac etiam, potiſſimum ejus ſerum, et lac ebutyratum, magni in hoc morbo curando beneficii ſpem præbere videntur. Poma omnigena, ut aurantia, limonia, citrea, mala, &c. hic vim quaſi ſpecialem habent.

Potus

Potus optimus eſt pura lupulata cereviſia, aut quæ inter conficiendum cum abietis ſummitatibus decocta fuit, (*Spruce Beer*, Anglice dicta) aut quæ ſinapi raphanumque ruſticanum in ea infuſa habet. Pomatum etiam vinumque Rhenanum commode dantur. Infuſum bynes aut hordei confecti, quod cereviſiam muſteam nominare liceat, clarus M'Bride multum in hoc morbo laudat. His diætæ regulis, urina et per cutem halitus multum promoventur, et alvus leniter ſolvitur.

Quo præterea vires reficiantur, exercitium, quamprimum ſinat ægroti valetudo, diligenter adhibendum eſt. Quandoquidem autem hoc morbo laborantes exercitium multum averſari ſolent, omnibus modis quam gratiſſimum facere neceſſe eſt; eodem tempore tamen, quoniam ab extrema debilitate, quæ eos gravat, facillime fatigantur, cavendum eſt, ne nimis intendatur, graviuſque laborantibus periculum afferat: Sed lene exercitium, urinam cutiſque

exhalationem

exhalationem promovendo, vireſque recreando ægro mirifice prodeſt.

His modis ſolis, ſatis diu adhibitis, morbus levis ſæpe ſine medicinæ ope curatur. Cum autem morbus gravior eſt, ut nonnullis accidit, quibus diu neglectus fuit vel male tractatus, vel iis, qui crebro antea eo laboraverunt, vel qui, ut paucis fit, ab aliqua ſpeciali ſuæ conſtitutionis indole, in eum a levioribus cauſis facile incidunt, tunc in auxilium omnem medicinæ opem advocare neceſſe eſt.

Rebus ſic ſe habentibus, ſi ſupra præſcripta ad vires reficiendas non ſatis valeant, roborantia quædam remedia una cum illis adhibenda ſunt. Hæc, quoniam etiam ventriculus hoc morbo multum laborat, adeo ut corpus a mala concoctione difficiliter ſuum nutrimentum adipiſcatur, non parvum beneficium allatura eſſe ſperare licet. Hæc inter, quæ huic conſilio optime reſpondent, ſunt cortex Peruvianus, Amara, ut Gentiana, flores Chamæmeli, Aurantii

cortex,

cortex, et Certaurii minoris ſummitates; atque vinum, quod vi corpus roborandi pleriſque aliis remediis præſtat.

In pejori morbo etiam, maxima ad diverſas excretiones, nempe alvinam, urinam, et cutis halitum, ciendas cura adhibenda eſt; in leviori morbo, quæ antea præſcripta ſunt, ad hunc effectum fere ſufficiunt, ſi autem aliter, remediis propriiis has ciere ſemper neceſſe eſt.

Alvus aſtricta, quæ nonnullis accidit, diligenter cavenda eſt; in hunc finem mitiora ſola, qualia ſunt, Tamarindi, vel Cremor Tartari qui pariter vi diuretica, præſtat, conveniunt.

Ad urinam promovendam Cremor Tartari, ut modo dictus, Nitrum, aliique ſales neutri præſcribuntur; Nitrum cum Scilla conjunctum non male forſan votis reſpondebit. In hoc autem morbo herbæ et fruges memorata, ſcilicet, raphanus ruſticanus, ſinapi, cepæ, &c. fere melius congruunt; ſed omnibus medicis,

quam

quam incerti ſint diureticorum effectus, bene notum eſt.

Ad ſudorem educendum valent Pulvis Sudorificus, Miſtura Salina, vel frequentes Decoctorum Lignorum hauſtus; ſi etiam eodem tempore adjuvet idoneum regimen. Hæc adaucta excretio maximum ægris commodum plerumque affert, ſi non nimis intendatur.

Forſan, quo modo quædam dolentiſſima in ſævo morbo ſymptomata ſubleventur, pauca dicere opus erit.

Gingivarum mala, gargariſmate ex Acido Vitrioli diluto, aut Alumine aqua ſoluto, aut Tinctura corticis Peruviani, allevantur.

Si oriatur ſalivatio, ſtatim gargariſmatibus modo præſcriptis moderanda eſt; derivationemque laxantibus, ſudorificiſque etiam facere licet.

Ulcera crurum aliarumque partium eandem fere curationem, ac gingivarum, requirunt.

Contra

Contra tumores, retractiones crurum, maculas, lividaſque ſuffuſiones, fomentationes aromaticæ, aut ex aceto; vapores Aceti, aut Spiritus Vini accenſi, optime valent.

Hæmorrhagiæ aſtringentibus extrinſecus admotis, ſi liceat, et corticis Peruviani parvis doſibus, et Acidorum, interno uſu, moderandæ ſunt.

Dolores in artubus, dorſo, pectoreque allevant Pulvis Sudorificus, balneum tepidum, vel Syrupus Scilliticus.

Dyſenteria, ut morbus primarius tractanda eſt; vires ægroti ſuffulciendæ ſunt; ſudoremqae elicere utiliſſimum eſt.

Ad ægritudines pectoris, quales ſunt dyſpnœa, dolor, anguſtiæque ſenſus, allevandas, parti dolenti veſicatorium imponere, expectorationemque etiam parvis Syrupi Scillitici doſibus, ciere, prodeſt.

TANTUM.

Med Hist
W4
E23
1792
G.1